

debeat eligi monialis ex alio monasterio. — Ex quo tandem intelligitur, quando juxta mentem Concilii oporteat electionem fieri ex alio monasterio. Nam imprimis juxta dictam declarationem Cardinalium, solum est hoc simpliciter necessarium, quando in eodem monasterio nulla, quæ eligi possit, habet triginta annos ætatis completos; nam si illos habeat, in reliquis conditionibus facile potest benigna interpretatione uti, considerata aliqua incommoditate in eligendo ex extraneis; hanc enim etiam necessariam esse opinor, ut prædicta declaratio locum habeat, ita ut a dispositione Concilii non recedatur. Addo deinde, sufficientem causam eligendi ex alio monasterio esse, quod in eodem non inveniatur aliqua habens simul illas duas qualitates quadraginta annorum ætatis, et octo professionis; sic enim intelligo illa verba Concilii, *quod si his qualitatibus non reperiatur in eodem monasterio*, quia nisi utramque habeat, dici non potest esse illis qualitatibus affecta. Verum est, Concilium non dicere, in eo casu, eligi debere ex alio monasterio, sed posse; quare judicio superioris relinquit ut id fiat, si absque incommodo possit. Unde si, non obstante eo defectu, ex consensu superioris alia de eodem monasterio eligatur, habens alias condiciones requisitas a Concilio, triginta annorum ætatis, et quinque professionis, sine dubio erit valida et confirmata electio, etiamsi fortasse aliter sine incommodo fieri possit, quia nullum est verbum in Concilio quod necessitatem indicet, sed solum directionem superioris, ut id non permittat, nisi ratione alicujus incommodi. Quod si fortasse ille liberalior sit quam debeat, inde non infirmatur electio, cum Concilium hoc non disponat. Tanto autem facilius, seu ad vitandum etiam levius incommodum poterit hoc permitti, quanto minor fuerit defectus dictarum conditionum in persona eligenda ex eodem monasterio. Nam si habeat octo annos professionis, licet non attingat quadragimum annum ætatis, dummodo excedat triginta, facilius poterit admitti ejus electio; et idem est e converso, si habeat quadraginta annos ætatis, nondum vero expleverit totos annos professionis. Et sic de aliis combinationibus, quæ facile cogitari possunt.

12. *Expediuntur tertia et quarta conditiones requisitæ in eligendo.* — Ordo sacer. — Legitimitas. — Arguitur non requiri legitimitatem pro Abbatisa. — Tertia conditio necessaria ex parte eligendi in Prælato, erat ut sit sacerdos, vel ordinatus in sacris; quam per se con-

stat in religionibus virorum, non monialiam requiri, quia nec feminae sunt capaces ordinationis, cum non consistat in potestate jurisdictionis spiritualis, sed tantum in dominativa, seu materna. In religionibus autem virorum, seu materna est ad inferiores prælationes, sicut ad supremam; nam jura quæ adduximus, de conventuali Abbate seu superiore præcipue loquuntur. Quarta conditio erat ut sit legitimus; quam certum est etiam postulari ad prælationem provincialem vel conventualem, imo ad quodcumque munus religionis habens jure ordinario spirituales jurisdictionem. Nam cap. 1, de Filiis presbyterorum, hæc omnia complectitur, ut latius Sylvest. prosequitur, verb. *Prælatus*, numero tertio, et verb. *Electio*, 1, q. 14, n. 15; et Angel., eod. verbo, numero vigesimo tertio. Dubitari autem potest an hæc conditio etiam in Abbatisis requiratur. Et ratio dubitandi est, quia earum prælatio non consistit in spirituali jurisdictione; sed ille defectus originis solum impedit ex vi juris canonici aut ordinem, aut spiritualem jurisdictionem; ergo. Major sæpe est in superioribus tractata, præsertim cap. 1, num. 3; minor ex jure constat, quia nullum decretum afferri potest, in quo impedimentum illius amplius extendatur. Et confirmatur maxime ex toto titulo de Filiis presbyterorum, in quo de filiis tantum sermo est. Et licet sub nomine masculino soleant feminae comprehendere, tamen id potissimum habet locum in favorabilibus, non autem in odiosis, nisi vel aliæ circumstantiæ, vel saltem omnimoda identitas rationis ad illum sensum cogant; hic autem nec est similis ratio, ut explicatum est, nec circumstantiæ aliquæ ad illam extensionem faciendam inducunt. Imo, si considerentur verba cap. 1 de Filiis presbyterorum, aperte videntur determinari ad solos masculos; nam prius dicitur ut filii illegitimi non ordinentur, nisi religiosi fiant, et deinde additur: *Prælationem vero nullatenus habeant*; loquitur ergo de filiis ordinis capacibus, vel (quod idem est) de prælatione proprie dicta, quæ ordinem aliquem præsupponit aut requirit. In reliquis autem textibus fere sermo est de filiis presbyterorum quatenus ad dignitates, personatus, aut beneficia ecclesiastica curam animarum habentia, admitti non possunt sine dispensatione Pontificis, præsertim in illis Ecclesiis ubi patres eorum beneficia habuerunt, de quibus etiam solis agit Concilium Tridentinum, sess. 23, cap. 15, de Reformat. Constat autem offi-

cium Abbatisæ nec dici posse beneficium ecclesiasticum, neque illius sollicitudinem proprie vocari posse curam animarum, sed solum ministerium pertinens ad gubernationem quasi œconomicam unius domus, quamvis accommodatam religioso statui ac profectui. Tandem, nulla irregularitas admittenda est quæ non sit in jure expressa; hæc autem inhabilitas illegitimum ad prælationes ecclesiasticas quædam irregularitas est; non est ergo ad feminas extendenda, cum in jure non sit expressa.

13. Propter hæc ergo, vel similia, nonnulli graves auctores censuerunt hunc defectum natalium nullum impedimentum esse ad munus Abbatisæ. Citatur ab Emmanuel Rodr., q. 10, art. 21, et in Summ., secunda part., c. 29, n. 12, Felinus, referens Joann. Andr. et Geminianum, loco infra adducendo, num. sequenti; sed nec Felinus id tenet, nec dictos auctores refert; citatur etiam Ancharanus, in cap. *Generali*, de Elect., in 6, citans Cynum, et Bartolum, in 1. 2, ff. de Verbor. significat., ubi etiam Bartolus nihil de hac re loquitur; indicat vero hanc opinionem Tabien., verb. *Virginis consecratio*. Nihilominus alii distinguunt inter Abbatisas quæ temporales sunt et non benedicuntur, et perpetuas, quæ benedicuntur; et de prioribus aiunt cum prima opinione, nihil referre quod illegitimæ sint; secus vero esse de posterioribus, quia sunt veræ prælatæ, et habent jurisdictionem quasi Episcopalem. Sed hæc distinctio neque in antiquis auctoribus invenitur, neque habet fundamentum in jure. Nam imprimis benedictio non refert, quia illa non est aliquis ordo, ut defectus natalium reddat personam quasi irregularem ad illam benedictionem; neque admittenda est illa exceptio, cum in jure non habeatur, et materia sit odiosa; et quamvis admitteretur, sicut professio religiosa tollit irregularitatem ad ordines, ita etiam tolleretur ad illam benedictionem. Perpetuitas etiam non refert, quia non majorem jurisdictionem habet Abbatisa perpetua ex illo capite quam temporalis; sed id, quod habet, magis durabile est, et revera neutra habet propriam jurisdictionem spiritualem, nam hoc non provenit ex majori vel minori duratione, sed ex incapacitate feminei sexus, ut alibi diximus, t. 5, in tertia parte.

14. *Communis opinio requirens legitimitatem.* — *Opinio Emmanuelis in numero præcedenti in praxi minus secuta, quamvis facile defendi possit.* — Est ergo communis opinio, illegitimam absque dispensatione non posse

esse Abbatisam; tenet glossa in cap. *Indemnitatibus*, § 1, verb. *Canonica*, de Elect., in 6. Sequitur Panormit., in cap. *Cum in cunctis*, de Elect., n. 6; et Felin., cap. *Meminimus*, de Accusat., numero quarto, quam esse communiter receptam, et in praxi servatam testatur Navar., Comment. 2, de Regul., numero sexagesimo; Majolus, lib. 1 de Irregul., cap. 29, numero decimo, citans Tabien., verb. *Dispensatio*, 5, vers. 21. Qui tamen non fundantur nisi in cap. 1, de Filiis presbyterorum, quod generaliter statuit, filium illegitimum esse inhabilem ad ecclesiasticas prælationes; munus autem Abbatisæ inter prælationes computatur, ut notant Doctores, in d. cap. *Indemnitatibus*, § *Verum*, ex textu ibi: *Ut a dignitate dejiciatur adepta*, ubi Geminianus, in 3 notab., et Abbas, in cap. *Quia propter*, de Elect., numero octavo, ubi propterea omnes docent in electione Abbatisarum servandam esse formam illius textus, quia sub nomine prælationis comprehenditur. Et licet D. Thomas, in 4, d. 23, q. 2, art. 1, ad 2, dicat Abbatisam non habere prælationem ordinariam, statim tamen subdit, habere quasi ex commissione; habet ergo aliquo modo sufficiente ut sub generali nomine comprehendatur. Præterea non obstat nomen filii masculini generis, quia in aliis similibus dispositionibus juris sub ea voce feminae comprehenduntur, præsertim quando lex est favorabilis religioni, etiamsi fortasse sit onerosa privatae personæ, ex Clemen. 1, cum gloss. ibi, verb. *Homines*, de Elect., et in cap. *Generali*, verb. *Universos*, de Elect., in 6; hujusmodi autem est dispositio illius cap. 1. In quo etiam non deest similitudo rationis, quia munus Abbatisæ etiam computatur inter dignitates ecclesiasticas. Et ad hoc confirmandum induci potest declaratio Sixti V, quæ alias posset in contrarium objici; cum enim contra illegitimos rigorosum rescriptum edidisset, postea in declaratione addidit: *Ceterum, quæ a nobis circa religiosos viros in præfata constitutione sancita sunt, ea nequaquam volumus ad moniales nunc extendi.* Quam declarationem ideo necessariam reputavit, quia non ex vi verborum, sed ex peculiari intentione, et benignitate sua videbatur profecta. Quamvis enim prima sententia in rigore juris facile defendi possit, quia revera ex illo sufficienter non convincitur hæc opinio, nihilominus in praxi non censeo recedendum ab hac sententia, quoniam sicut communior, ita securior est.

15. Sed dicunt aliqui, hanc maculam per



professionem religiosam tolli, nam in viris irregularitas ad ordines tollitur per professionem religiosam; ergo etiam in feminis aliqua inhabilitas tolli debet; in eis autem non est irregularitas ad ordines, quæ tolli possit; ergo tolletur saltem hæc inhabilitas ad prælationem. Sed hoc non recte dicitur; nam professio sola sua vi et natura non tollit hæc impedimenta, ut in superioribus tetigimus, et per se satis notum est; tantum ergo tollit quantum a Pontificibus est concessum, et ideo in viris professio tollit irregularitatem ad ordines, non vero ad prælationes, quia utrumque statutum est in dict. cap. 1, de Filiis presbyterorum. Quod autem in feminis professio tollat inhabilitatem ad prælationem, nullo jure aut privilegio concessum est; ergo propter illam congruentiam vel æquiparationem non potest hic effectus tribui professioni monialium; neque etiam est similis ratio, quia per hanc inhabilitatem non impeditur femina ab aliquibus actibus spiritualibus, et ad cultum Dei pertinentibus, qui per feminas exerceri possit, sicut impeditur vir per irregularitatem ab ordine.

16. *An corrupta possit eligi in Abbatissam.* — *Quid de aliis defectibus cum viris communibus.* — Denique addunt prædicta glossa, Pannormitanus, Felinus, et alii, non posse eligi in Abbatissam, quæ fuerit corrupta, etiamsi sit vidua; quod solum probant ex cap. *Juven-culas*, 20, quæst. 1, ubi Gregorius præcipit eligi virginem sexagenariam. Verumtamen caput illud, quoad unam partem, scilicet, quod sit sexagenaria, receptum non est in vim legis; idem ergo de altera parte responderi potest; unde Archidiaconus et Hugo ibi aiunt illud interdum non observari; nam, licet decentissimum sit ut virginibus non præsit nisi virgo, ut ita non solum verbo, sed etiam opere ac perseverantia sit aliis exemplum virginitatis; nihilominus aliquando potest expedire viduam eligi, quamvis tunc consecranda seu benedicenda non esset, ut notat etiam glossa in Clem. *Attendentes*, verb. *Rationabilis*, de Stat. monach.; quæ tamen indicat etiam in eo casu necessitatis necessariam esse dispensationem, quam etiam indicat posse concedi per aliquem Prælatum præsentem electioni, verbi gratia, Episcopum, vel episcopalem jurisdictionem habentem; quod mihi est probabile, quia illa prohibitio, quam Gregorius fecit cuidam Episcopo, non est cum tanto rigore proposita, ut ab illo extulerit potestatem dispensandi in casibus revera necessariis. Sed in hac re potis-

simum censeo standum esse consuetudini. Reliqua, quæ de aliis defectibus seu impedimentis ad hujusmodi prælationem, ejusdem fere rationis sunt cum his, quæ de viris diximus, et de illis videri potest late Majolus, dict. lib. 4 de Irregularitat., cap. 29.

17. *Tractantur conditiones ex parte eligentium requisite.* — *Prima conditio, ut eligendi officium sit penes congregationem.* — Jam dicendum est de requisitis ex parte eligentium, in quibus eadem, quæ de Generali diximus in cap. 4, cum proportionem servanda sunt. Nam imprimis uniuscujusque electio ad congregationem proportionatam pertinet; electio enim Prælati conventualis jure communi ad conventum pertinet, argumento cap. 1, de Electione, et expresse habetur in cap. *Cum dilectus*, de Consuetudine, et 18, quæst. 2, per multa capita, et fere ex natura rei sequitur, supposita provisione futura per electionem; et saltem constat, nisi jure aliquo positivo aut consuetudine præscripta aliis jus eligendi concessum sit, ex natura rei in ipso corpore communitatis tale jus residere. Affirmat autem Navarrus, comment. 3, de Regular., numero secundo, hoc jus constituendi Abbates magna ex parte reservatum esse Summis Pontificibus, vel facultatem præsentandi illos nonnullis principibus esse concessam. Sed hoc intelligendum existimo de his, qui vel regulam in suo rigore non observant, vel secundum aliquam reformationem regulariter vivunt; nam in religionibus observantibus ac reformatis, electio juxta communem consuetudinem per conventum fit, et ita est observandum, nisi aliud constiterit de jure speciali. Unde fit, idem proportionaliter esse dicendum de electione Provincialium; quamvis enim jus commune de illis nihil specialiter disponat, constat eandem esse rationem, seu proportionem provinciæ, seu capituli provincialis ad suum Prælatum, quæ est conventus localis ad suum.

18. *Secunda conditio, professio religionis ejusdem.* — *Tertia, ne electores sint laici.* — *De conditione ætatis et antiquitatis eligentium.* — Deinde ex parte eligentium requiritur etiam professio ejusdem religionis, nam jura supra citata signatim requirunt hanc conditionem in electione Abbatis vel Abbatissæ. Non est autem necessarium ut talis professio sit expressa, quia hoc in jure non postulatur, ut supra, cap. 4, num. 2, satis dictum est. Et ibi etiam num. 3 tractata sufficienter est alia conditio, quam jura postulant, scilicet, ut electores sint in sacris ordinati. Quæ licet in monialibus locum

non habeat, dubitari tamen potest an illæ religiose, quæ inter eis laicæ vocantur, quia nec velantur, nec ad officium chori deputantur, an (inquam) vocem habeant in hujusmodi electione. Sed de hoc nihil invenio vel in jure, vel in auctoribus, et ideo dico breviter, si illæ non sint vere professæ per tria vota solemnia, jure communi excludi, cap. *Indemnitatibus*, de Elect., in 6. Si autem sint vere religiose professæ, nullum invenio jus quo excludantur; nam illa similitudo vel proportio ad religiosos eligentes, qui debent esse ordinati, non sufficit, neque aliquid refert ad jus in hac re constituendum. Non repugnat ergo admitti; an vero admittendæ sint, ex consuetudine vel ex jure speciali pendet, et regulariter observari existimo ut non admittantur. Postulatur præterea in dict. cap. *Indemnitatibus*, ætas duodecim annorum expletorum: sed illud procedebat juxta antiquum jus. Hodie autem cum major ætas requiratur ad professionem emittendam, constat etiam ad eligendum majorem ætatem requiri, scilicet sexdecim annorum expletorum. Major autem necessaria non est, quia neque ad professionem emittendam requiritur, nec per jus aliquod per se postulatur; nec etiam petitur ut, post professionem, aliquod tempus ante electionem intercesserit. Unde etiam necessarium non est quod professio diem vacationis antecesserit, sed sufficit ut ante electionem legitime facta sit. In viris autem nihil invenio specialiter de ætate dispositum, et ideo quæ sufficiens est ad ordinem subdiaconatus, sufficit etiam ad eligendum. De quo videri potest Sylvest., verb. *Electio*, 1, per priores quatuor quæstiones.

19. *An patronus requiratur ad eligendum.* — *Pars negativa vera.* — Tandem inquiri solet an patronus possit habere jus eligendi simul cum religiosis. Faciunt enim dubitationem verba Pelagii Papæ, in cap. *Abbatem*, 2, 18, q. 2: *In monasterio* (inquit) *illum volumus ordinari Abbatem, quem sibi de sua congregatione, et monachorum electio, et possessionis dominus poposcerit ordinari.* Per quæ verba videtur jus eligendi patrono tribui; ubi glossa alia jura in eandem sententiam refert. Nihilominus dicendum est, patronum non posse habere jus eligendi, tum quia, si est laicus, non potest habere jurisdictionem ecclesiasticam, nec propriam administrationem; si vero non sit professus ejusdem religionis, etiam si sit clericus, non potest eligere Prælatum regularem, juxta cap. *Ex eo*, et cap. *Indemnitatibus*, de Elect. Et hæc est sententia communis, quam tenet

glossa, in d. cap. *Abbatem*; glossa, in cap. *Quod sicut*, verb. *Impedire*, ubi Abbas, n. 6; idem in cap. *Cum terra*, n. 2, de Elect. idem Pannormitanus, in cap. *Nobis*, de Jure patronatus. In quo textu expresse est hoc declaratum, et per illud explicandum est d. cap. *Abbatem*; ait enim: *In conventuali Ecclesia non electioni Prælati faciendæ, sed jam factæ honestius præstolatur assensus*; non ergo eligit patronus, sed electioni factæ præbet assensum. Quod etiam in d. cap. *Abbatem* insinuat, nam electio tantum dicitur esse monachorum; patroni autem simul cum illis postulare electum. Dices, aut hoc nihil conferre patrono, aut idem habere incommodum; nam vel cogitur patronus præbere assensum, et inutilis est illa cæremonia; vel potest sua voluntate rumpere electionem, et hoc majus est incommodum. Respondetur primum, illud esse quoddam genus gratitudinis, recognitionis et honoris, quod inter homines plurimum æstimatur. Deinde, si patronus legitimam causam proponat, ob quam non præbet assensum, audiendus est; et si causa sit sufficiens, superior non confirmabit, sed cassabit electionem; sine legitima autem causa nihil obstat patroni dissensus, et ita nec est inutilis hæc potestas, nec incommodum affert. Quamvis autem hoc ita sit jure communi, specialia jura legitime confirmata spectanda etiam sunt, et laudabilis consuetudo servanda. Nunquam tamen poterit consuetudine introduci, ut jus eligendi Prælatum acquiratur laico, aut non professo, nam est contra canones ecclesiasticos, et contra ecclesiasticam utilitatem ac disciplinam, et ita sentiunt doctores citati, et Navar., Comment. 3, de Regul., numero sexagesimo.

20. *Ultima conditio, ne sint censurati.* — Ultimo, necesse est ut hi electores non sint per censuram ecclesiasticam impediti, aut voto privati. De hoc autem impedimento sufficiunt superius dicta, cap. 4, num. 9, quoniam ejusdem rationis est in omnibus electionibus, sive majorum, sive minorum Prælatorum, et pro omnibus consulenda est doctrina de Censuris, ut illo cap. 4, num. 9, jam citavimus; nam ex ea constat per quam suspendatur quis a potestate eligendi. Viderique possunt Sylvester et Angelus, et alii Summistæ, verb. *Electio*. Inquiri etiam hic posset, an moniales per censuras interdictæ, aut suspensæ, priventur etiam hac potestate eligendi, mediate aut immediate; in materia de censuris sufficienter tactum est; et ideo de his electoribus hæc in præsentem sufficiant.



21. *De forma servanda in dicta electione.* — Tertium requisitum est, ut servetur debita forma electionis. Circa quam communis et recepta sententia est, servandam esse formam præscriptam in cap. *Quia propter*, in his omnibus Prælati, ut constat ex Innocentio, Panormitano, et omnibus expositoribus; Sylvestro, verb. *Electio*, 2, num. 2 et 4, ubi addit, tam Priores provinciales quam conventuales ordinis Prædicatorum, et qui eis correspondent in aliis religionibus, debere eligi juxta dictam formam, resecat multis juris subtilitatibus per constitutiones eorum; intelligendum est autem de constitutionibus confirmatis a Summo Pontifice, si in aliquo derogant juri communi, quia nulla constitutio sine auctoritate Summi Pontificis contra illud valere potest. Neque hic occurrit aliquid specialiter addendum, sed superius dicta in cap. præced. cum proportionem applicanda sunt. Atque idem dicendum est de monialibus, in quibus eadem forma capituli *Quia propter*, ut ibidem quoque tradidimus, servanda est, ut notavit glossa communiter recepta in cap. *Indemnitatibus*, § 1, verb. *Collatio*, de Elect., juxta modum tamen et moderationem additam in d. cap. *Indemnitatibus*, quam in Summa redigit Sylvest., verb. *Elect.*, 3, in fine. Denique, etiam in eis locum habet dispositio addita a Concilio Tridentino, sess. 25, cap. 6, de Regular., ut in eodem expresse declaratur. Et hæc de conditionibus ac forma eligendi Prælatos regulares infra Generalem.

22. *Ostenditur tandem tertia pars assertionis positæ in n. 1, de creatione Prælati absque electione.* — *Quid ex parte providentis requiratur; quid item ex parte provisi.* — *Quid ex parte formæ, seu modi providendi.* — Ultima pars assertionis restat de modo creandi hujusmodi assertiones absque electione, per solam provisionem, aut nominationem superioris Prælati. De quo genere provisionis, quantum ad usum ejus spectat, cum præter jus commune sit, nihil aliud dicere possumus, nisi tantum ibi servari posse ac debere, ubi speciali et approbato jure fuerit institutum. Qua lege supposita, ex parte eligentis seu providentis necessarium est, ut habeat suam potestatem non suspensam, neque impeditam. Et quia talis potestas annexa esse debet prælationi ejusdem religionis, ut supponimus, omnes conditiones, quæ ad talem prælationem necessariae sunt, ad illam requiruntur. Ex parte vero ejus qui providendus seu instituendus est in Prælatum, omnes conditiones supra positæ, in cap. 3, ex

parte eligendi, necessariae sunt, quia illæ non postulantur propter specialem modum electionis, sed propter prælationem ipsam; ut, verbi gratia, quando jus disponit ut nemo eligatur in Prælatum religionis, nisi expresse professus, professio non petitur propter modum electionis, sed ut persona sit capax prælationis; unde, quantum ad hoc spectat, cum dicitur, *non eligatur*, perinde est ac si diceretur, *non promoveatur*, idemque de cæteris conditionibus illo capite positis intelligendum est, juxta communem et certam sententiam. Neque ulla ratio dubitandi occurrit: nam quod jura utantur verbi *eligantur*, solum est quia secundum commune jus ille est ordinarius modus promovendi aliquem ad hanc dignitatem; aliquando vero utuntur verbo *assumendi*, ut in cap. *Tom.*, de Ætat. et qualitate, ibi, *possit in Abbatem assumi*, quia revera, ut dixi, non respiciunt viam (ut sic dicam), sed terminum, id est, conditiones quæ decent talem personam; unde hæc, quæ diximus, potissime intelliguntur de quacumque institutione, seu collatione prælaturæ; nam ad postulationem, per quam non acquiritur jus postulato, non requiruntur ex parte ejus, qui postulatur, omnes conditiones necessariae ad prælationem habendam; nam satis est quod si aliqua deficiat, possit in ea dispensare ille a quo fit postulatio, et quod ratio sufficiens ad dispensandum intercedat, ut latius tractatur in tit. de Postulat., Prælat., et a Summistis, verb. *Postulatio*. Denique circa modum seu formam providendi prælationem absque electione, nihil circa hoc dicendum occurrit, nisi quæcumque signa aut verba, sufficienter declarantia voluntatem superioris Prælati, conferendi alteri inferiorem prælationem eum actuali usu (ut sic dicam), seu exercitio ejus, sufficere ad illam conferendam, eo ipso quod sufficienter proponitur ac promulgatur. Nec existimo esse necessarium addere, quod requiratur etiam subditorum acceptatio; nam, per se loquendo, non est necessaria nova acceptatio, sed sufficit obligatio obediendi, quam ex vi voti habent. Quanquam in hoc servanda sunt etiam jura specialia, vel honesta consuetudo præscripta. Sed de hoc modo providendi superiores religionis, quia inter omnes videtur esse proprius Societatis, ideo tractando in particulari de ejus instituto, plura de illo dicemus, tract. 10, lib. 10, cap. 3.

## CAPUT VII.

AN PRÆLATIO RELIGIONIS PERPETUA SIT, QUANTO TEMPORE DURARE POSSIT AUT DEBEAT.

1. *Resolutio quæstionis, attento jure naturali.* — Quæstio hæc tractari potest aut ex natura rei, aut ex jure communi, aut ex speciali. In primo sensu, non potest tractari de facto, quia pendet ex hominum arbitrio ac institutione, ut videbimus; et ideo ex sola rei natura non habet hæc prælatio, quod sit perpetua vel temporalis. Sed hoc solum ex natura rei ad illam consequitur, ut postquam semel collata est, auferri non possit juste intra illud tempus, pro quo data est, nisi interveniente causa legitima et potestate, quia per collationem acquiritur in illam proprium jus, quo nemo potest sine causa privari; de quo alias. Igitur ex natura rei uterque modus institutionis possibilis est, quia in neutro illorum per se est aliquid contra rectam rationem, et quia alii principatus et magistratus possunt esse perpetui et temporales. Denique, quia in utroque modo possunt esse multa commoda in ordine ad bonum regimen, et quamvis habeant admixta incommoda, vel non sunt contra rectam rationem, vel non per se sequuntur, sed per accidens, necessarioque sunt in rebus humanis toleranda, quia non possunt omnia vitari, et præcipuum punctum humanæ prudentiæ est tunc id eligere, quod minus habet incommodi. Unde oritur quæstio, quæ illarum institutionum ex natura rei magis expediat religionis gubernationi; de qua dicam in n. 9, expeditis aliis membris propositis.

2. *Resolutio ejusdem, attento jure communi.* — Secundo igitur dicendum est de jure communi. Omitto autem divinum, quia de hac materia in particulari nihil divinum jus statuit, ut sæpe in superioribus tactum est, et per se est evidens, quia nec scriptum, nec traditum ostendi potest. Imo, probabile existimo in universa Ecclesia Catholica nullam prælationem esse ex divino jure absolute perpetuam, ita ut non possit quis ea invitatus privari, vel sub ea lege haberi, nisi solus Pontificatus Summus: sed de hoc alias (t. de Fide, d. 10, sect. 3). Igitur, loquendo de communi jure ecclesiastico, Navar., Comment. 3, de Regular., num. 3, affirmat, monasteriorum Prælatos vel prælatas, secundum commune et regulam debere esse perpetuos; id autem non probat nisi ex eodem textu, quem commentatur, c. *Nullam*, 18, q. 2,

ubi dicitur nullam potestatem relinqui monachis expellendi Abbatem, aut sibimet alium ordinandi; quod non alia ratione dici potest, nisi quia Abbas ex vi juris perpetuus est. Et hoc idem supponitur toto titulo de Statu monach. Verumtamen duobus modis intelligi potest hanc perpetuitatem esse de jure communi, positive scilicet, seu definitive; aut negative tantum, vel (ut ita dicam) præsuppositive. Priori modo, non invenio jus aliquod positive definiens ut hæc prælationes perpetuæ sint, nec Navarrus illud adducit. Nam illud cap. *Nullam* solum statuit, ut monachi non possint deponere Abbatem pro arbitrio suo, aut alium creare quando voluerint, quod longe diversum est; nam, licet prælatura sit temporalis, non poterit deponi Prælatum arbitrio subditorum, sed definito tempore a lege, seu statuto, vel ipso jure amittet officium, vel tenebitur renuntiare, et ad id cogi poterit juxta constitutionis tenorem. An vero possit Prælatum sub ea conditione creari, ut tantum duret in officio ad arbitrium subditorum, infra a numero quarto videbimus. Neque etiam in toto titulo de Statu monachorum aliquid invenio, quo hæc conditio perpetuitatis pro hoc munere decernatur ac præscribatur.

3. At vero alio modo negativo verum esse videtur ex vi juris communis hanc dignitatem esse perpetuam. Primo, quia illud jus non vetat quin perpetua sit, sicut etiam non prohibet esse temporalem. Secundo, quia semper loquitur de hac dignitate tanquam de perpetua, et quæ de illa statuit, perpetuitati congruunt, quia nimirum illam conditionem supponit. Unde fit tertio, ut virtualiter illam approbet ac defendat, qui videtur esse proprius sensus dicti cap. *Nullam*; declarat enim, postquam religiosi sibi eligunt aliquem in Abbatem absolute, et simpliciter, ac sine ulla temporis limitatione, talem Prælatum ita esse perpetuum, ut non possit ab inferioribus deponi. Liberum enim eis fuit potestatem in ipsos dominandi tradere; postquam autem absolute dederunt, auferre non possunt. Atque hic videtur fuisse mos antiquorum monachorum, ut colligitur ex decretis et historiis supra adductis, et ex Concilio Moguntino, c. 11, ubi dicitur, Abbatem non posse etiam suo arbitrio locum suum relinquere, sed cum permissione Episcopi. Et ex Concilio Triburiensi, sub Adriano II, et aliis, quæ statuunt, Abbatem solum propter crimina, vel defectus in regimine, posse suo munere privari; et ex Regula S. Benedicti, cap. 2 et 64, colligitur,